BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
FONDO [illegible]
43
8 C
23

EX BIBLIOTHECA
JOSEPHI GARAMPII

Digitized by Google

Digitized by Google

DE VITA ET STUDIIS

FR. VINCENTII

LUDOVICI GOTTII

BONONIENSIS

ORDINIS PRÆDICATORUM

S.R.E. Tituli S. Xyſti Presbyteri Cardinalis

COMMENTARIUS.

ROMÆ, MDCCXLII.

TYPIS HIERONYMI MAINARDI.

Superiorum facultate.

Domeſtica prædicabo , non tamen quia domeſtica ideo falſa , ſed quia vera , ideo laudabiliter : Vera autem non modo quia juſta , verum etiam quia nota .

S.Greg.Naz.Orat.xi.Tom.I.Opp.

Digitized by Google

Illmo, ac Rmo D. D.

FR. JOSEPHO LUDOVICO

DE ANDUJAR

ORDINIS PRÆDICATORUM

Epiſcopo Bobienſi, & Comiti.

FR. THOMAS AUGUSTINUS RICCHINIUS

Ejuſdem Ordinis S. T. M. ac Collegii Caſanatenſis Theologus.

S. P. D.

PAucis *ab obitu ampliſſimi Cardinalis Gottii diebus, ruſticanti mihi in noſtro Sancti Paſtoris ſeceſſu, atque graviſſimum Familiæ noſtræ illatum vulnus amaro prorſus animo reputanti, ea occurrit cogitatio leniendo, ut*

videbatur, dolori meo opportuna, ut quæ memoriæ, ac prope oculis obverſabantur denati Cardinalis præclare ſcripta, ac præclarius geſta literis conſignarem. Brevi igitur, ac ſimplici narratione vitæ, muneram, ſtudiorumque ejus rationem ſeriemque carptim per ſubſecivas horas ſum perſequutus; & Commentariolo excepta cum amicis communicavi, quibus e re noſtra viſum eſt, ut ad tanti Viri memoriam tuendam, ac propagandam in hominum lucem producerentur. Etſi enim eruditiſſimis ingenii ac doctrinæ ſuæ monumentis ſeipſum luculenter expreſſerit, animi tamen ſui

ima-

imaginem poſteritati nullam reliquit; nec qua erat modeſtia ab omni etiam juſtæ laudis cupiditate alienus, hanc ab aliis effingi, dum viveret, quoquo modo tuliſſet. Ego *vero, qui viventem admiratus, mortuum quoque perpetuo colam, quando jam moderationis ejus legibus non prohibeor, ſumma ejus vitæ capita primis veluti lineamentis adumbrata, tuo caſtiganda, vel ſupplenda judicio proferre non vereor. In his elegantiam fortaſſe ac nitorem, fidem certe, & candorem minime, ut ſpero, deſiderabis.* Nemini *enim comperta magis eorum veritas eſſe poteſt, quam* Tibi, *qui diu-*

turna

turna cum illo conſuetudine ejus vitæ teſtis fuiſti locupletiſſimus; in aliquarum etiam illius rerum partem non exiguam neque poſtremam veniſti. Nam certe propenſam in ipſum Benedicti XIII. voluntatem non foviſti ſolum & confirmaſti, ſed quo eras apud Pontificem loco, amantiſſimis etiam officiis excitaſti, quo præconcepta, ac diu expectata, illius in Purpuratorum Patrum Senatum maturaretur adſumptio. Etſi autem eam ob rem exiguam, ac forte nullam, apud ampliſſimum Cardinalem inieris gratiam, propterea quod, ut erat ab honoribus quam qui maxime averſus, ſupplicii po-

tius

tius quam beneficii loco graviſſimam dignitatem poſuerat, æſtimatione tamen, ac benevolentia erga Te præcipua nemini concedebat. Cum enim ab ipſa tua adoleſcentia hominis ingenium incomparabile omnigena eruditione refertum, animi vero indolem plane excelſam fortem magnanimam, in utraque fortuna æquabilem, in amicitia fidam, candidam, religioſam, virtutum denique omnium inſtructu ornatiſſimam, longo experimento probaſſet, propterea Te diligebat mirifice, & tanti faciebat, ut fortuna meliore dignum, æquiſſimo ſane judicio atque honeſtiſſimo prædicaret.

Habe-

Habeto igitur Cardinalis de Te perhonorifice ſentientis, de Eccleſia vero univerſa, de literaria Republica, de Familia noſtra cumprimis optime meriti, rudem, ac paucis expreſſam imaginem; quam tuam eſſe volo, ut hac ipſa etſi perexigua voluntatis meæ ſignificatione quantum ex animo Te colam ac diligam, omnes prorſus intelligant. Vale plurimum, & ſalve, Teque Eccleſiæ tuæ bono, Ordinis vero noſtri ornamento, ac ſplendori diuturnum atque incolumem præſta.

Dabam Romæ ex noſtro Minervitano Coenobio Kal. Novembris MDCCXLII.

DE

DE VITA ET STUDIIS FR. VINCENTII LUDOVICI CARD. GOTTII BONONIENSIS ORDINIS PRÆDICATORUM.

BONONIÆ ingeniorum Parentis optimarumque artium altricis eximiæ VINCENTIUS LUDOVICUS GOTTIUS ex honeſta familia ortus eſt nonis Septembris A.Æ.C.MDCLXIV. Patrem habuit Jacobum Gottium J. U. Doctorem, ac publicum in Academia Bononienſi Legum Interpretem, prudentia & doctrina in paucis nobilem, Matrem ve-

Digitized by Google

ro Claram Capardam integerrimam fœminam ac liberalem. In ſinu optimorum parentum diligenter educatus artes, quibus ætas puerilis informari ad humanitatem ſolet, a Patribus hauſit Scholarum Piarum. Tredecennis Patre orbatus in diſciplinam ſe tradidit PP. Societatis Jeſu, a quibus biennio Rhetoricen audivit. Erat autem in puero ingenium docile & acre, cum flagranti ſtudio eximia pietate ac ſingulari modeſtia conjunctum. Anno ætatis decimoſexto divino lumine colluſtratus, jam ſecum reputans, quam inanes & fluxæ humanæ res eſſent, e paterna domo ſe ſe ſubducens in Bononienſe S. Dominici Cœnobium

bium inſciis prorſus familiaribus & conſanguineis ſe ſe recepit, a quibus illuc accitis Prædicatorum inſtitutum amplectendi veniam conſenſionemque rogavit; qua impetrata a PP. ejuſdem Cœnobii in Ordinem admiſſus eſt; cujus Tyrocinium Anconæ poſuit A. MDCLXXX. inſequenti vero publico ac ſolemni ritu ſe ſe Votis religioſis obſtrinxit.

Philoſophiæ ſtudio imbuendus Forolivium miſſus eſt, atque in diſciplinam traditus P. Joſephi a Turri Januenſis V. Cl. cujus exſtant Verbi Dei Inſtitutiones publici juris factæ ac multis voluminibus comprehenſæ. At vero cœptum eo Præcep-

tore Philoſophiæ curſum non-nullis de cauſis intermiſſum Bononiæ abſolvit ſub P. Angelo Unda ibidem Profeſſore Artium eximio. Quantum ſub utroque profecerit, quanta ingenii vi ac celeritate, diſſerendi copia & acumine cæteros anteverterit, dici vix poteſt. Juvenem ſane in ſcholaſtico pulvere non progredientem ſed evolantem, ac ſuper alios ſe ſe mirabiliter efferentem, quo felicius promoverent Superiores, Salmanticam in Hiſpania Theologicis diſciplinis inſtituendum mittere ſtatuerunt. Eſt in ea Civitate Prædicatorum Cœnobium ob Magiſtrorum præſtantiam, Auditorum frequentiam, ſtudiorumque exer-

exercitationem, ſatis amplum & celebre, quo delecti ex Hiſpanis aliiſque nationibus Juvenes deſtinari ſolent, qui non vulgarem de ſe exſpectationem concitarint. In hanc igitur literarum palæſtram velut in ampliſſimum theatrum deductus, tanta cum laude ſe geſſit, ut tam Sodales quam Magiſtros admiratores fecerit ſui; illos quidèm, ingenii amplitudine celeritate ac nitore vincens omnes; hos vero, proxime aſſequens ſtudio labore ac diligentia. Quare Theologiæ curſu feliciter abſoluto electus eſt præter omnem conſuetudinem qui in Salmanticenſi Academia Theologiam univerſam magna Profeſſorum frequentia

(Actum magnum hunc vocant) publice ad diſputandum proponeret. Eam vero Provinciam, quam obire ſolet unus ex Profeſſoribus, tanta omnium adprobatione ac plauſu ſuſtinuit, ut Salmanticenſis Cœnobii Patres inter ſuos eum adſcribere ac cooptare curaverint; oblata etiam, quo apud ſe egregium Juvenem facilius detinerent, honorifica illius Provinciæ Cathedra, quam is modeſte recuſavit. Ejus virtutis præſtantia ad ipſum Apoſtolicæ Sedis Legatum Duratium Matriti agentem delata tantam ampliſſimi Præſulis, qui poſtea S. R. E. Cardinalis fuit, adverſus Gottium exiſtimationem & gratiam concilia-

liavit, ut cum Salmanticæ ægrotantem audiiſſet, Matritum tranſferri juſſerit, quo citius apud ſe convaleſceret.

Quadriennio in Hiſpania moratus ab Archiepiſcopo Compoſtellano Fr. Antonio de Monroy, jam antea Prædicatorum Ordinis Generali Magiſtro, Sacro initiatus Presbyteratu Anno MDCLXXXVIII. in Italiam remeavit, ac Philoſophiæ Profeſſor in Mantuano Cœnobio deſignatus eſt. Quo munere vix inchoato à Magiſtro Generali Ordinis Romam accerſitur Philoſophia inſtituendis Minervitani Cœnobii Juvenibus, quos inter Auditorem habuit Fr. Johannem Baptiſtam Lomellinum, poſtea

Salutiarum Epiſcopum. Novum ſubinde in Generali Studio Bononienſi Philoſophiæ curſum auſpicari juſſus eſt, quo egregio ſane Juventutis in ejuſdem diſciplinam traditæ emolumento rite abſoluto, Theologiæ prælegendæ in Faventino Cœnobio admovetur. Uno tamen vel altero poſt menſe vita functo Hieronymo Baſſano S. T. M. Ordinis Prædicatorum primario in Academia Bononienſi Theologiæ profeſſore, Senatus Conſulto id muneris gratulantibus univerſis noſtro defertur an. MDCXCV.

Itaque in publicam ampliſſimi ac celeberrimi Gymnaſii lucem productus, præconceptam de ſe exſpectationem non ſolum

ſu-

ſuſtinuit, ſed vicit etiam, & cumulatiſſime auxit; id quod inſignis ejus ſcholæ frequentia teſtabatur: Cum enim de rebus divinis non minus copioſe erudite acuteque diſſereret, quam dilucide ac nitide, & incredibili quadam polleret res omnes exponendi explicandique perſpicuitate, rara admodum illa quidem in pleriſque vel doctiſſimis viris, in quibus ut ingenium atque eruditionem mireris, optes tamen ſæpe lucem ac nitorem, magni fiebant ad eum cum domi tum in Academia concurſus. Utrobique autem continenti admiratione & plauſu ad annos plures auditus eſt, præſtanteſque ex illius ſchola, ac diſci-

pli-

plina prodiere alumni: quorum aliqui per Italiam, plures vero per Germaniam, & Pannoniam conſtituti, adhuc vivunt eximiæ doctrinæ fama & nominis celebritate.

Ad publici autem Profeſſoris munus, Magiſtri Generalis juſſu & voluntate, Metaphyſicæ prælegendæ in Cœnobio Bononienſi onus adjunxit An. MDCXCIX. ejuſdemque nutu etiam Magiſtri Studentium munere in eodem Generali ſtudio functus eſt Anno MDCCII. Porro caſtigandus eſt Cl. Jacobus Echard, qui Tom. II. Script. Ord. Præd. ad An. 1720. cum Generalis Studii Bononienſis Regentem fuiſſe ſtatuit, cum certo certius ſit, nunquam id mu-

ne-

neris eidem contigiſſe, quod vix cum publicis prælectionibus conciliari potuiſſet.

Interea cum Provinciæ utriuſque Lombardiæ Præſes deſignatus eſſet P. M. Fr. Angelus Guillelmus Molus, qui Ordinis univerſi poſtea Procurator, & Vicarius Generalis fuit, Gottium ſibi in ſocium adſcivit, qua quidem procuratione publicæ deinceps rei gerendæ initiari ac veluti præludere viſus eſt. Nam Anno MDCCVIII. Bononienſis Cœnobii Prior adſumptus eſt, expletoque biennio univerſæ Provinciæ Præſes in ejuſdem Provinciæ Comitiis electus eſt. Dici vix poteſt, qua ſedulitatis prudentiæ ac vigilantiæ laude, quo

le-

lenitatis ac zeli temperamento utramque Præfecturam adminiſtraverit. Tantam ſibi æquitate, manſuetudine, ingentique virtutum omnium inſtructu, quæ in optimum Præſulem cadere poſſunt, ſubditorum reverentiam conciliaverat, ut caverent omnes diligentiſſime; ne quid admitterent, quod ei non probaretur. Clavum igitur eo moderante ita omnia ad morum diſciplinam, ſtudiorum fervorem, pietatis ac religionis cultum, compoſita viſa ſunt, ut omnes & ſinguli uno eodemque ſpiritu ducti praeuntem exemplis non inviti ſed ultro ſequerentur; dubiumque relinquerent, eum ne magis diligerent, an vererentur.

Anno

Anno MDCCXIV. Patrii Cœnobii Prior iterum renuntiatur; ſed primo regiminis anno vix abſoluto Mediolanenſis Urbis Generalem Fidei Quæſitorem ſe ſe inſperato, ac ne ſuſpicantem quidem, a Clemente XI. P. M. deſignatum intelligit. Quo ſe a delato ac permoleſto munere gerendo ſubduceret, omni prece curavit; nequidquam tamen, ac irrito prorſus conatu: Quare ab jucundiſſimis ſibi ſtudiis quaſi ab ubere avulſus, ac religioſæ ſolitudinis quiete, quam ſibi jam pollicebatur, abſtractus, ſupremo ceſſit imperio, ac Mediolanum profectus eſt, ampliſſima omnium ordinum gratulatione exceptus; jam enim Viri fama

om-

Digitized by Google

omnes pervaſerat. Id vero in primis gratiſſimum accidit Benedicto S. R. E. Cardinali Odeſchalcho, qui maximam ejus virtutis probitatiſque opinionem jampridem animo imbiberat, cum Bononiæ Pro-Legatus ejus conſuetudine uteretur. Quapropter cum ingenti eum complexus lætitia, tum prolixis benevolentiæ argumentis ſemper eſt proſequutus. Eum nimirum in quotidiana colloquia, atque in graviora conſilia amantiſſime adhibebat: ita demum acceptum habuit, ut ſuſcepti muneris abdicationem molienti ſemper obſiſteret, egeritque officiis ac precibus apud Romanam Curiam, ne optata miſſio roganti concederetur.

Ægre

Ægre igitur ille quidem, ſed in commiſſi ſibi muneris partes diligentiſſime incumbebat: dum vero Fidei puritati ab omni labe, & contagione ſervandæ ſedulo invigilaret, incidit in ejus manus Jacobi Picenini apud Rhætos Calviniani Miniſtri *Apologia pro Eccleſiis Reformatis* italice ſcripta, & Curiæ typis vulgata Anno MDCCVI., quam nuſquam antea, hoc eſt nono ab ejus editionis anno, ſe vidiſſe teſtatus eſt. Operi ſane exitioſo refellendo egregiam navaverat operam Andreas Semery Soc. Jeſu erudita lucubratione edita Brixiæ Anno MDCCX. Tum Hyacintus Tonti Auguſtinianæ Familiæ Theologus naviter

acu-

acuteque Piceninum perſtrinxerat ſcripto edito Patavii Anno MDCCXIII. At qua erat Piceninus audacia, malæ cauſſæ acrius patrocinium urgens, adverſus P.Semery, quaſi ferox victor inſultans *Triumphum* edidit priore *Apologia* nihilo modeſtiorem; quo & Catholicæ Religionis Fidem diſcerpſit, ejuſque defenſores fœdis gannitibus deridendos propinavit. Hominis jactantiam atque impudentiam ferre Gottius non valuit, ac Religionis vindicandæ zelo vehementer permotus, ſtimulos etiam addente Joſepho Olgiato Novocomenſi Epiſcopo, Picenini *Apologiam*, vanique nominis *Triumphum* refutare adgreſſus eſt. Igitur de

Vera

Vera Chriſti Eccleſia adverſus utrumque Pſeudo-reformati Librum nervoſe, acute, atque eruditiſſime ſcripſit, ac tribus amplis voluminibus fere univerſi dogmatis controverſias uberrime diſputatas complexus eſt. Operis autographum Clementis XI. P. M. nutu Romanis Cenſoribus ſubjectum, eorumque judicio probatum incredibili omnium plauſu, atque ipſius Pontificis adprobatione Romanis Typis editum eſt A. MDCCXIX. Qua erat Auctor moderatione, & lenitate, id caverat in primis diligentiſſime, ne inter ſcribendum convitiis convitia referret, aut ei quidpiam excideret, quo lædi aut exaſperari adverſa-
 rius

rius poſſet, eumque de injuria expoſtulare. Sed cujuſdam Cenſoris licentia (quod ejus palato amarulenta ſaperent) inconſulto factum eſt, ut aculeata quædam & acerbiuſcula operi ingeſta ſint, quæ Auctoris modeſtiſſimi ſtilum geniumque nullo prorſus modo referrent; quod ſane incommodum illi accidit, ac permoleſtum, ut id omnino diſſimulare non potuerit. Quare in Colloquiis Theologico-Polemicis, quæ deinde vulgavit Bononiæ A. MDCCXXVII, quo impactam ſibi eo titulo a Thoma Manella Piccnini exceptore in Libro edito adverſus P. M. Tonti *Indiſcreti*, hoc eſt intemperantis criminationem, notamque repelleret,

leret, hæc libere, modeſteque præfatus eſt. *Quamquam (dicam tandem, & verum dicam) ea, quæ* fumus Picenini, ac ſuorum famam denigrans, & ignis contumeliis fervens *Manellæ viſa ſunt, vel quidquid aliud mordax, in quæ meam* Veram Eccleſiam *legens inciderit, teſtor mea non eſſe, nec meo genio accomodata; in cujus fidem exhibere poſſum authographum, quod apud me eſt. Cujus vero manu, aut calamo irrepſerint, ignorare licet. Opus alibi, & aliena voluntate me abſente impreſſum, nec unius tantum emendationi, & arbitrio conceſſum contrahere aliquid poterat, quod Auctoris non eſſet. Ut ut fuerit, mea inquam prorſus non ſunt. Sciebam enim cum Hæreticis*

 pro

pro veritate quidem certandum eſſe; ſed Charitatem non amittendam, ut ad veram Fidem redeant, non ut ab ea magis arceantur, pugnandum eſſe intellectu, non voluntate.

Idem ſubinde opus ſecundis curis ab ipſo Auctore recenſitum, caſtigatum, & auctum prodiit Mediolani A. MDCCXXXIV. Quæ autem fuerint eruditorum de illo judicia, non eſt hujus loci, vel inſtituti proferre. Id unum non prætermittam eo cum primis nomine commendatum fuiſſe a Cl. Juſto Fontanino, quod integrum complectatur Controverſiarum Fidei Corpus a nullo Theologo Italice antea ſcriptum, quo non minus Catholicæ Religioni præſidium, quam Italicis lit-

litteris novum adjectum eſt decus atque ornamentum.

Jam vero doctiſſimus Auctor cum nihil in votis haberet ardentius, quam in tranquilla Cœnobii ſui ſtatione omni cura & honore ſolutus ſibi uni ſuiſque ſtudiis vacare, repetitis, ac fere importunis precibus miſſionem a Quæſitoris officio rogabat identidem, quam demum annuente Pontifice impetravit. Anno igitur MDCCXVII. abdicata Mediolanenſi Inquiſitione Bononiam ſe recepit, ubi paucis poſt menſibus ampliſſimi Senatus conſulto ad Polemicæ, ut vocant, ſeu controverſiarum Fidei Cathedram, quam V. Cl. *Benedictus Bacchinius Abbas Caſſinenſis* paullo ante vita

fun-

functus magni nominis celebritate repleverat, omnium gratulatione adſumptus eſt. Anno vero inſequenti Bononienſe Theologorum Collegium, quo ſuam erga Virum teſtaretur exiſtimationem, honoris cauſa inter ſuos adoptavit, eidem uti *Viro famoſo* publice decretis atque collatis honoris inſigniis.

Porro optatiſſimæ quieti, ac Religioſo receſſui in Patria reſtitutus alteram Picenini lucubrationem ſibi refutandam propoſuit. Scripſerat is libellum de concordia Matrimonium inter & Miniſterium, Typis Tigurinis impreſſum A. MDCCIX., in quo Socratico more non ſolum adverſus Sacrorum hominum Cœli-

batum

batum inſenſo calamo diſputaverat, ſed ad alias præter inſtitutum dilapſus fuerat Catholicas poſitiones labefactandas. Exiguo Calviniani Miniſtri, ſed virulento fœtui juſtæ molis volumen Noſter oppoſuit, quo adverſarium in omnem partem urgens, ac premens, non ſolum Cœlibatus defenſionem ſed univerſi fere Catholici dogmatis vindicias eruditas inſtituit. In tres omnino Colloquiorum claſſes opus diſtinctum eſt, in quarum prima Sacrorum Miniſtrorum Cœlibatum, in ſecunda Romani Pontificis auctoritatem in Conciliis & definitionibus, in tertia vero alias Catholicas veritates propugnat, adjectis Gre-

gorii VII. vindiciis. Prodiit Bononiæ paullo ſerius, quam ab eo ſcriptum fuiſſet, nimirum Anno MDCCXXVII. ex Typographia Sancti Thomæ Aquinatis.

Diu tamen non licuit erudito Scriptori literarum ſuarum otio perfrui; nam A. MDCCXX. Bononienſis Cœnobii Præfecturæ tertio admovetur: Anno vero inſequenti raro admodum exemplo iterum Provinciæ Præſes eligitur. Generalia eodem anno univerſi Ordinis comitia celebrata ſunt, quibus ille interfuit; cumque de eligendo Magiſtro Generali ageretur, plura in eum conſpirarunt ſuffragia, quod & in poſterioribus comitiis Anno MDCCXXV. Bononiæ celebratis majo-

majore ſuffragatorum frequentia, & conſenſione obſervatum eſt, eo ne cogitante quidem vel adnitente, imo obſiſtente.

Renuntiatus Magiſter Ordinis Fr. Auguſtinus Pipia qui paullo poſtea S. R. E. Cardinalis fuit, pro ea qua pollebat eruditione ac doctrina ſui muneris eſſe omnino duxit ſacra ſtudia ſic promovere ac reſtituere, ut non ſolum ſcholaſticis jejuniſque inſtitutionibus, ſed Polemicis etiam atque eruditis Juventus noſtra imbueretur. Conjectis itaque in Gottium capaciſſimæ mentis oculis hanc illi ſpartam adornandam commiſit, ut inſtituendis Thomiſticæ Scholæ Candidatis abſolutiſſimum compararet

raret ſcholaſticæ dogmaticæque Theologiæ curſum nova methodo, ſuoque prorſus ſtilo acuto nimirum, perſpicuo, atque erudito. Ingentem oppido laborem & ſi variis diſtentus curis, atque occupationibus dicto audiens alacriter ſubiit, atque opus ampliſsimum continenter proſequutus voluminibus omnino ſexdecim comprehenſum abſolvit, vulgavitque Bononiæ ex Typographia S. Thomæ Aquinatis.

Per id temporis adſumtus eſt in Romanam Sedem Benedictus XIII. Ordinis Prædicatorum decus immortale, cui noſter ob doctrinæ famam non compertus modo, ſed acceptiſſimus fuerat

rat; cum ſingulis annis, quibus Provinciæ præfuit, eum offi-cii cauſa Beneventi conveniret, amantiſſime ſemper atque hono-rifice ab illo exceptus. Fuit prop-terea omnium fere præſenſio in Sacrum Cardinalium Collegium a ſapientiſſimo Pontifice Got-tium præ ceteris adligendum fore quod non ſolum ex eodem Pon-tificis Inſtituto, eademque foret utriuſque Lombardiæ Provin-cia, ſed quod eximiæ probitatis atque ſapientiæ fama ceteris per Italiam conſtitutis ejuſdem Fa-miliæ hominibus facile omnino præcelleret. Cum vero Purpuræ honorem, quem Benedictus in Ordine Prædicatorum acceperat, ejuſdem Ordinis Generali Magi-

ſtro

ſtro Fr. Auguſtino Pipiæ jure quidem meritoque primo reddendum conſtituiſſet, dilata quidem de Gottii promotione, ſed aucta in dies & confirmata expectatio. Is vero cum nullo honoris ambitu ac deſiderio, ſed ne cogitatione quidem adficeretur, ſalvam ſibi fore privatæ quietis felicitatem, ut ut alii importune ac intempeſtive non ominarentur ſolum, ſed gratularentur, jam fere pollicebatur.

Sed adfuit inſperato tempus, quo privata ejus virtus ſuo in lumine conlocaretur & novo cumulata ſplendore longius coruſcaret: Nam BENEDICTUS XIII. in Conſiſtorio ſecreto pridie Kal. Maii An. MDCCXXVIII. Gottium Bono-

Bononiæ agentem, deſignatum primo Patriarcham Hieroſolymitanum, S. R. E. Præsbyterum Cardinalem creavit. Rei nuncius magnis itineribus Bononiam miſſus eum ruſticantem in ſuburbana Ronzani domo cum aliis Cœnobii ſui ſodalibus adiit, ac tale quidpiam ne ſuſpicantem quidem exhibitis Apoſtolicis literis, atque Cardinalitiis inſignis ex improviſo ſic occupavit, ut repentino fulmine ictus omnino videretur. Sic enim ipſe de ſe ad amicum ſcribens teſtatus eſt. Tum intimo doloris ſenſu adventitii honoris ſarcinam collacrymari, fortunam ſuam prolixe conqueri, ac niſi amicorum auctoritas judiciumque pro-

prohibuiſſet, latebras meditari, & fugam, quo moleſtiſſimam a ſe dignitatem deprecaretur. Obſervatum eſt eamdem in domum aliquibus ante annis ſeſe recepiſſe Fr. Vincentium Mariam Urſinium S.R.E. Cardinalem a Clemente X. vix renunciatum, iiſdemque humilitatis ſenſibus eodem in loco ampliſſimam dignitatem ab utroque exceptam fuiſſe. Quare utriuſque rei memoria ibidem hoc monumento conſignata eſt.

HUMILIS DOMUS HÆC

FR. VINCENTII MARIÆ URSINI ROMANI, QUI POSTEA BENEDIC. XIII. QUOD HUC FRUSTRA A SIBI DELATIS CARDINALATUS HONORIBUS DECLINARIT SECESSU PRIMUM, ET FAMA IN ÆVUM PERILLUSTRIS DEIN

FR.

FR. VINCENTII LUDOVICI GOTTI BONONIENSIS ACADEMIÆ PROFESSORUM LITERATISSIMI HIC INTER AMICORUM PLAUSUS AB EODEM BENEDICTO SACRA PURPURA DONATI PER NUNCIUM VI. NON. MAII MDCCXXVIII. MODESTIA, GEMITIBUS, ET ANIMI RELUCTANTIA POSTERITATI CELEBRIS FREQUENTIA DEMUM OMNIUM, ET SINGULORUM FELSINÆ ORDINUM OPTIMO VIRO CIVIQUE SUO GRATULANTIUM CLARISSIMA DUM DUOS PRIVATOS ORDINIS PRÆDICATORUM ALUMNOS VIRTUTE PARES EXCIPIENDO S.R.E. CARDINALES EFFECTOS ORBI UNIVERSO POSTEA REMITTIT NUSQUAM MAXIMAS VIRTUTES LATERE POSSE ET UBIQUE VEL ETIAM PER OTIA SUA SUA PRÆDICATORUM ORDINEM AD MAJORES PRO ECCLESIA LABORES EXCITARI IMMO ET RAPI QUALICUMQUE H. M. TESTATUR.

Interea magno, ac fere incredibili lætitiæ ſenſu ab omnibus Bononienſium Ordinum hominibus optatiſſimæ rei nuntium exceptum eſt: Quapropter in gratulationem effuſa Urbs univerſa extra Urbem profecta eſt Purpurati Civis ſui manus exoſculatura. Is vero in communis gaudii ſignificatione diſſimulato, quo intime angebatur, mœrore ob amiſſam, ut ſibi videbatur, omnem vitæ quietem, & felicitatem, compoſito ad humanitatem vultu, ita adeuntium omnium officia excipiebat, ut nec ingenitæ ſibi modeſtiæ detraheret quicquam, nec acceptæ dignitati injurius videretur. Septimo Idus Maii a Georgio

S.R.E.

Digitized by Google

S. R. E. Cardinali Spinula tunc Bononiæ a latere Legato in D. Dominici Templo Cardinalatus inſignia, quæ Fr. Joſeph Ludovicus de Andujar Ord. Præd. tunc Pontificiæ Bibliothecæ Præfectus, nunc Epiſcopus Bobienſis Pontificis nomine ad ipſum detulerat, ſolemni ritu, ſplendidoque adparatu ſuſcepit. Sacro deinde Pentecoſtes die, quæ fuit XIV. Kal. Junias rem ſacram in eodem Templo faciente Jacobo S. R. E. Card. Boncompagno Archiepiſcopo Bononienſi, cooperantibus vero Thoma Torello Epiſcopo Forolivienſi, & Thoma Cervioni Epiſcopo Faventino, Patriarcha Hieroſolymitanus conſecratus eſt.

Mox in Urbem deductus, atque a SS. Pontifice omni benevolentiæ ſignificatione amantiſſime exceptus, Sacris, ut vocant, Congregationibus Generalis Inquiſitionis, Epiſcoporum, & Regularium, Indicis Librorum expurgatorii, Sacrorum Rituum, Diſciplinæ regularis, Examinis Epiſcoporum, Tridentini Concilii Interpretum, Indulgentiarum, & Reliquiarum, Propagandæ Fidei, ac Librorum Orientalium Correctionis adnumeratus eſt.

Jam vero quam apud omnes excitaverat eximiæ probitatis ac doctrinæ expectationem principio cumulatiſſime æquavit. Nam ad illam quod attinet, nihil in

eo immutavit ſuſceptæ dignitatis ſplendor de prioris vitæ ratione, quam ſancte apud ſe conſtituerat ad mortem uſque conſtanter tueri, quemadmodum præſtitit æquabilis ſemper, ac ſimilis ſui. Nihil ergo prius habuit, quam ut Ordinis ſui legibus ſolutus ſecundum eaſdem vivere prorſus videretur. Idem propterea illi quod ante injectam Purpuram orandi ſtudium, eadem menſa, victuſque temperantia, eadem fere temporis, horarumque partitio, quarum antelucanas plures poſt rerum æternarum contemplationem, pias precationes, laudumque divinarum penſum Sacris ſtudiis impendebat. Otii impatientiſſimus ne

particulam quidem horæ ſine operæ pretio elabi ſibi patiebatur. Si quid e graviſſimis, ac quotidianis occupationibus reliquum temporis foret, id totum legendo, commentando, ſcribendoque indulgebat. Nullis vero adminiſtris, ſtudiorumque adjutoribus, ſed ne amanuenſibus quidem accerſitis, propria ipſe manu exarabat omnia, ac conficiebat tam facile, atque expedite, ut nulla fere in ejus autographis adpareat litura.

Statis omnibus Cardinalium Sacris, Conſiſtoriis, Congregationibus ſemper, niſi morbo impediente, diligentiſſime interfuit. Quæcumque in illis ad conſulendum, judicandumve proponerentur

tur jugi antea meditatione ſuis ab ipſo ponderibus ac momentis rite expenſa ac librata ea perſpicuitate, prudentia, ac doctrina expediebat, ut ejus reſponſa ac ſuffragia doctiſſima haberentur in primis atque rectiſſima. In iis ferendis nunquam ex affectu, ſemper vero ex incorrupto animi ſenſu ac præjudiciis vacuo quam aſſequutus eſſet ex rationum momentis veritatem libere & candide proferebat: Nec tamen id quod ſentiret pertinaciter tuebatur, nec diſſentienti contradicebat, tantâ erat in omnes reverentiâ ac modeſtiâ.

In graviores etiam ac ſecretiores conſultationes a Summis

Pontificibus frequenter adhibitus, tum ſæpe de ſententia in rebus arduis ac perplexis ad Fidem, mores, aut diſciplinam ſpectantibus vel coram, vel per epiſtolas ex variis terrarum partibus rogatus, nulli unquam conſilii ac doctrinæ ſuæ copiam negavit; ut mirum videretur hominem in varia diſtractum, ac pro Eccleſia diſtentiſſimum Commentariis ſcribendis vacare potuiſſe. Mirifica tamen ac ſingulari ſollertia ſemper aliquid temporis e quotidianis occupationibus ſibi ſuiſque ſtudiis decerpebat, ac reſervabat. Ac primo quidem *De eligenda inter diſſidentes* Chriſtianos *ſententia* luculenter diſputavit adverſus Johan-

nem

nem Clericum e Remonſtrantium Secta apud Batavos magni nominis Scriptorem, qui Operi Hugonis Grotii de Veritate Religionis Chriſtianæ adjecto ſpecioſi tituli Commentario Catholicæ Religionis principia labefactare molitus eſt. Opuſculum ſane exitioſum ſolide accurateque refutavit noſter, Adverſarii fundamentis ab imo convulſis, edito ejuſdem tituli Libro ac Romæ impreſſo An. MDCCXXXIV. quem cum Ratisbonenſes Typographi iterum cudiſſent A. MDCCXL, hoc de illo Ephemerides Germanorum tulere judicium.

Publice adparuit hiſce diebus Liber egregius Auctore celebri Cardinali Gottio, qui in noviſſimis Car-

dinalium Comitiis parum abfuit ab Apoſtolico Throno, atque Orbi univerſo præclaris ſuis operibus maxime innotuit. Solide ac nervoſe Adverſarium refellit. Hujus Emi Auctoris ſtilus purus, perſpicuus, riteque methodicus. Cum iſta refutatio, tum cætera illius opera magna eruditione, doctrina ſolida, ac ſumma moderatione ſcripta ſunt. Quæ in medium adfert momenta & rationes ex eorum genere ſunt quibus Eccleſia Catholica adverſus Fidei hoſtes pugnare ſolet; ſed nova methodo & arte exhibentur, & grate adeo legentibus ingeruntur, ut cauſæ vim, & fundamentum ſtatim intime aſſequantur. Quare eximii hujus Cardinalis labor & inſtitutum plurimi facienda ſunt.

Ma-

Majus deinde opus par ejus ingenio, eruditioni, ac pietati molitus eſt, quo veritatem Religionis Chriſtianæ adverſus Atheos Polytheos Idololatras Mahumedanos & Judæos aſſereret ac vindicaret. Sectarum omnium quæ adverſus Chriſtianam Religionem pugnant erudita ac continenti demonſtratione falſitatem evincit: Tum Catholicæ Fidei propagationem, myſteria, dogmata luculenter illuſtrat tanto rerum argumentorumque apparatu, ut promptuarium inſtruxiſſe videatur, quo profligandis ac delendis Fidei noſtræ Adverſariis parata Theologis atque expedita ſint arma. In duodecim omnino Volumina opus

eſt

eſt diſtributum, quorum primum prodiit Romæ ex Typographia Rochi Bernabo A. MDCCXXXV, dudecimum vero ac noviſſimum ex eodem prælo A. MDCCXL.

Duobus inſequentibus annis, qui ejus vitæ ſupremi fuerunt, & ſi varijs adflictaretur incommodis in Divinarum Scripturarum ſtudio quieſcendum atque immoriendum ſibi conſtituit. Quare iis legendis, meditandis, atque illuſtrandis quantum temporis habuit ſubſecivi ſedulo impendens, adjecta Patrum qui in divinos Libros ſcripſere continenti lectione, adornare cœpit in Geneſim Commentarios longe doctos & luculentos, quos ad Caput uſque vigeſimumquintum ejuſ-

ejuſdem Libri deduxit. Poſtremum hunc tanti Scriptoris laborem, & fœtum quamquam ejus morte interciſum, ſi aliquando lucem adſpexerit, minime vereor, Auctoris ſui nomini, ac celebritati reſponſurum.

Jam porro quæ fuerint ejus munera & ſtudia: nunc præcipua quædam de illius moribus ac virtutibus exſequemur. Ac primo quidem pietatis erga Deum ac Religionis ſtudium quod a puero rite hauſerat per omnem vitæ gradum mirifice fovit, & auxit. Præ Deo quem ſibi agendorum omnium finem unicum conſtituerat, nihil erat in humanis cujus deſiderio tangeretur. Infra eum poſita omnia flocci ac

nihili prorſus faciebat, unde illud uſurpabat identidem „ *omnia vanitas præter amare Deum*. „ De ſupernis æterniſque rebus, ut cogitabat identidem atque commentabatur, ita & differebat cum aliis animo prorſus lubente, ac ſingulari quadam dulcedine, optabatque vehementer ut omnium animi in Dei raperentur amorem & cultum. In his quæ ad eum exercendum ac promovendum pertinent nulli aut labori aut diligentiæ parcebat, ac vel ipſa corporis alacritate, oris reverentia, ac modeſtia quo pietatis ſenſu erga ſacra omnia adficeretur patefaciebat. Et quamquam in rerum divinarum cognitione defixus per ſtudia ſua continenter hæ-

hæreret, ſtatum tamen ac certum quotidie tempus ſeponebat, quod orationi, cujus exercitium ne in graviſſimis quidem occupationibus intermittebat, omnino tribueret. Rem divinam quotidie, præmiſſa bis, terve in hebdomada Exhomologeſi, ſumma cum religione ac ceremonia faciebat. Deiparam Virginem præcipuo amoris, ac pietatis ſenſu colebat: Secundum hanc S. Parentem Dominicum, Thomam Aquinatem, Vincentium Ferrerium venerabatur impenſe; atque eorum aliorumque ſui Ordinis SS. virtutes ceu ſpeculum ad quod ſe componeret ante oculos ſemper habebat.

Ca-

Catholicæ vero Religionis ac diſciplinæ zelo intime commovebatur. Quidquid ad eam tuendam vel amplificandam quoquomodo pertinere intelligeret, id nulla habita laborum curarumque ratione fortiter arripiepiebat promovebatque conſtanter. Quare adverſus Fidei hoſtes bellum acre ac perpetuum geſſit, nec iis refellendis ac revocandis a ſcribendo & diſputando ſibi unquam temperavit, ut Fidei adſertor ac Religionis vindex appellari jure, ac merito poſſit.

Præ cæteris autem virtutibus maxime incubuit ut omnium parentem altricemque coleret humilitatem Chriſtianam, non in ea ſo-

ſolum vitæ parte quam privatus geſſit, ſed, quod eſt difficilius, in ipſo ampliſſimi honoris faſtigio. Accurata ſui ipſius cognitione, propriæque imbecillitatis perſuaſione animo præconcepta, quam demiſſe de ſe ſuiſque rebus ſentiebat, de quibus nihil dicebat unquam niſi neceſſitate impellente. Quod ſi ejuſdem Operum mentio cum laude a quopiam ingereretur, verecundia humilitatis indice ſtatim ſuffuſus vel ſermonem abrumpebat, vel aliorſum deflectebat. Perpetuis demum laboribus, ſtudiis, ac vigiliis, vitæque innocentia eo ſemper contendit, ut doctiſſimus eſſet ac ſumme probus, non ut talis vulgo videretur. Quare & la-

latere omnino, atque ab omnibus ignorari voluiſſet. Quod tunc primum declaravit cum ampliſſimo Quæſitoris Fidei munere ſe ſe abdicavit, aut invitus in ordine præfuit, tum vero maxime cum intimo doloris ſenſu Cardinalitiam dignitatem admiſit, quam eodem vultu deinceps intuitus eſt, quo eam ingratis ac repugnanter accepit. Sæpe ipſum audivi de repetendis domeſticis Clauſtris ex animo diſſerentem, quo profecto ſe recepiſſet niſi fruſtra irritoque conatu id ſe tentaturum intellexiſſet. Id vero crebris uſurpare ſermonibus ſolebat, quidquid eſt ſplendoris aut commodi in eminentiſſima dignitate id totum eſſe in

aſpi-

aſpicientium oculis, ſola onera, labores & curas purpuram geſtanti hærere indivulſe. Nihil propterea ex illius acceſſione commotus de ſui deſpicientia nihil remiſit. Amicitias eadem familiaritate qua antea coluit, non alio ſe immutatum oſtendens quam quod Amicorum commodis ſerviret impenſius. Suis familiaribus, ac domeſticis ſiquid præcipiendum eſſet, rogantis potius more id faciebat quam imperantis, cavebatque diligenter, ne quempiam gravaret moleſtiâ. Quibuslibet etiam infimatibus ſe ſe facilem aditu alloquioque exhibebat, cum primis vero ſui Ordinis Fratribus, e quorum numero unus religioſæ vitæ
 cul-

cultu habituque exteriore, quem ſemper retinuit, omnino videbatur. Eos non tantum nomine ſed re complectebatur ut fratres, nunquam paſſus ea ſibi exhiberi ab illis obſequia quæ Purpuratis Patribus deferuntur. Illorum convictu & conſuetudine vehementer delectabatur; cum iis ſuas ille Ferias agebat, animumque urbanis negotiis ſubductum communi menſa & hoſpitio familiariter uſus ruſticando reficiebat. Præcipua vero in Magiſtrum Generalem Ordinis obſervatione fuit, quem omni obſequii ſignificatione impenſe coluit atque demiſſe. Nihil etiam Cardinalis ſuorum operum in lucem protulit, quod ejus venia & facul-

tate

tate Theologorum Ordinis judicio & cenſura adprobatum non eſſet,

Igitur homini infra æſtimationem omnium ſe metienti, honores vero ac dignitates nauci facienti pronum ac facile fuit cætera omnia infra ſe poſita fluxa & caduca deſpicere. Corpori ſuo, præter ea quæ ad vitam tuendam neceſſaria ſunt, delicias omnes ac voluptates interdixit. Inſtituti ſui ſervantiſſimus cuſtos ejus leges ſibi nunquam laxavit. Cardinalitia auctus dignitate nihil de prioris vitæ conſuetudine immutavit. Cibo & potu quantum fieri poterat abſtinentiſſimus fuit: uno tantum vel altero obſonii genere eoque

vulgari ac parabili contentus, vinoque dilutiſſimo uſus: ſolo fere cœnabat juſculo; ſex vero ſeptemve horas vix dormiebat. In conſtituenda familia, in domo inſtruenda atque ornanda, in ſupellectilis ſumtu ac rerum omnium adparatu ea uſus eſt moderatione quæ munditiem præſeferret magis quam cultum.

Divitiarum vero ac pecuniæ ſenſu ne adficiebatur quidem. Quem ex publici Profeſſoris munere capiebat cenſum, aliaſque obventiones coëmendis pro communi Bibliotheca Libris dum Cœnobitam ageret ſtatim erogabat. Nullos jam Cardinalis a Pontifice reditus proventuſque petiit annuos, ultro tamen col-

latos non recuſavit. Nulla prorſus a Principibus accepit munera, contra ac judicarint nonnulli qui de rebus ſibi nondum exploratis atque compertis temere imprudenterque pronuntiant. Eam autem quam ultimis tabulis in Sacros, Religioſos, ac pios uſus Cœnobio ſuo Bononienſi reliquit pecuniam, partim ex privati largitoris munificentia, partim ex frugalis vitæ parſimonia in eam rem ſepoſuerat. A rei familiaris Præfecto accepti datique rationes, cum ob ejus probitatis fideique conſcientiam, tum ob rerum ipſarum neglectum exigere nullas conſuevit; id unum ſciſcitatus interdum, num ad quotidianos, vel novos
 ſum-

ſumtus, atque eleemoſynas cum primis faciendas ſuppeterent neceſſaria.

Magnam enim pecuniæ vim in pauperes quotannis erogavit, tunc etiam cum nonniſi infra neceſſarios ſumtus annuum cenſum obtineret. Numerum habebat apud ſe plurium familiarum deſcriptum, quarum anguſta res, vel gravis eſſet inopia, ac certam pecuniæ ſummam ſingulis menſibus ſublevandis ſingulis deſignaverat. Occultis etiam largiſque ſubſidiis remota omnium conſcientia plurimis opitulabatur quos in lucem prodire vetuit largitoris modeſtia & accipientium pudor.

Ex

Ex quo facile quiſque intelliget qua eſſet in omnes miſericordia, & qua cæteros proximos charitate complecteretur. Iis adjuvandis atque fovendis quamcumque poſſet operam, labores, officia, conſilia amantiſſime impendebat. Nemini ullo tempore aditum ad ſe intercluſum voluit: omnes perbenigne excipiebat, audiebatque patientiſſime ac verbis humaniſſimis recreabat. Nemo ab illo contumelioſe habitus ac ne quidem appellatus acerbius. Eoſdem ipſos quos adverſus ſe ingratos repererat novis beneficiis cumulavit & auxit, injuriarum immemor ſemper, beneficiorum vero nunquam.

Ea fuit ſedatione mentis animique placabilitate ut iracundiæ vocem nunquam exſereret, nec vultum quamvis laceſſitus mutaret. Dum Fidei quæſitorem ageret, ſi quos a recta fide aberrantes, aliorumve criminum reos in poteſtate haberet, nihil non tentabat, monitis, hortationibus, ac doctrina illos perhumaniter inſtruens, ut leniter ab erroribus revocaret: quos ſi publice eos ejurare contingeret, verbis amantiſſimis compellabat, & lacrymis uſque permovebat, quo ab iiſdem pœnitentiam eliceret. In reprehendendis demum corrigendiſque ſibi ſubjectorum vitiis leni potius quam ſoluta aut exaggerata oratione utebatur, ut vi-

vitia non homines plane inſequi videretur. Fuit apud ipſum famulis ipſis mitiſſima ac ſuaviſſima ſervitus, quorum neminem corripiebat acrius ſed blande monebat, eorumque errores ac mendas excuſare ac interpretari benignius ſolebat.

Hanc autem hominis lenitatem ac manſuetudinem non efficiebat ipſa naturæ conſtitutio, aut corporis temperatio; erat enim habitus melancholici bile accenſi, quales eſſe fere ingenioſos omnes Ariſtoteles affirmat. Virtus ipſa longa exercitatione niſuque parta ejus animi perturbationes in officio continebat, iiſque cum impetu inſurgentibus principio ſemper obtinebatur;

Ni-

Nihil ſane diligentius ſtudnit quam ut cupiditates omnes motuſque animi a ratione abhorrentes quam maxime frangeret, ſeque ipſum in omnibus vinceret. Quod quidem difficillimum ac pulcherrimum victoriæ genus in rebus maxime adverſis atque inopinatis ſæpiſſime eſt aſſequutus. Conſanguineorum atque affinium amorem quo ſinguli affici ſolent ita moderabatur, ut in adverſis eorum caſibus ne commoveri quidem videretur. Quapropter ſuorum funera, ſed Joſephi Fratris in primis, quem diligebat impenſius, inopinatum interitum improviſo ſibi nuntio delatum forti animo tulit, divinæ ut ſolebat in omnibus ſumma

æquabilitate ſeſe voluntati committens.

Ab ipſa Cardinalatus inauguratione ſuos graviter monitos voluit, ne quidpiam ab eo expectarent, quo tenuiorem domeſticæ rei fortunam augere aut ſuſtinere decentius poſſent. Quare ne minimum quidem e ſuis proventibus iis vivens erogavit, neque moriens contuliſſet, niſi a graviſſimis viris & conſcientiæ ſuæ arbitris, quorum dicto audiens erat, firmiſſimis probatum eſſet rationibus, ſuis aliqua omnino præſtanda eſſe ſubſidia. Exiguo igitur Nepoti ex Fratre adſignato proventu, uni ex ejus Filiis Clericali militiæ adſcripto annuum conſtituit cenſuum

quo

quo in arreptæ vocationis ſtadio ad literarum ſtudia contendenti aditus non relinqueretur obſtructus.

Hæ autem quas indicavimus virtutes, quamquam per ſe egregiæ, eo pluris in eo faciendæ erant, quo arctius cum omnium moderatrice prudentia conjunctæ. Ea duce ac comite in omni vitæ parte ſeipſum & actus ſuos in ſolum Deum ejuſque gloriam per media huic fini aſſequendo conſentanea ſemper direxit. In Magiſtratibus ſui Ordinis obeundis, in Generalis Fidei Quæſitoris officio, in Familiæ gubernatione, in conſiliis dandis aut capiendis, in negotiis tranſigendis prudentia uſus eſt ſin-

ſingulari; non ea quidem quæ carnis dicitur, eſtque Deo inimica, ſed quæ ad Evangelii normam exacta, tantum eſt a fuco & calliditate aliena, quantum veritate gaudet atque ſimplicitate. Has ille virtutes cum haberet ingenitas ab omni fallacia, ſimulatione, mendacio, aſſentatione, aulæ technis & artibus vehementer abhorruit ac diligentiſſime cavit. Et ſi autem veritatis cultor eſſet eximius, in aperiendis tamen animi ſui ſenſibus erat apprime cautus: minime ſuſpicioſus, ſed circumſpectus ac providus, ut illi non facile quiſquam poſſet imponere, unde & ejus ſermoni tanta inerat cautio & cuſtodia, ut nonniſi conſul-

fulto ac meditato loqui videretur.

Hac vero agendi circumſpectione nuſquam laudabilius eſt uſus quam in Comitiis pro eligendo Pontifice, quibus ſemel iterumque interfuit. Leviter ego & quantum ſatis eſt ad hominis prudentiam, virtutemque indicandam argumentum attingam periculi plenum. Statuerat is apud ſe in eo Senatu, ubi potius petenda atque expectanda ſunt a Deo reſponſa, quam propria excogitanda vel danda conſilia, præcipuas eſſe partes ſilentii & modeſtiæ. Itaque non modo procul ab omni ſtudio ambitionis, ſed etiam curæ ac ſollicitudinis fuit. Se ſe colligens ac ſecum habitans

ſibi uni ſuiſque ſtudiis inter Cellulæ ſuæ anguſtias vacabat, nuſquam ſe ingerens, nemini ſe inſinuans, nec quid aut de ſe, aut de aliis ſtatueretur, ſed quid ſibi de digno ad ſupremam Cathedram promovendo decernendum curabat. Integer propterea & nullo præoccupatus affectu ad conſultationes & ſuffragia accedebat, atque hanc ille perſonam in utriſque egit Comitiis omnium commendatione probatiſſimam.

Quæ autem foris per omnium ora de eo publice circumferrentur, qui de illius ſapientia, Religione, ac pietate ſermones, quæ concepta de illius exaltatione ſpes, quæ de implenda

da per ipſum ſede ominationes & vota malim ab aliis, quam a nobis dici, qui ampliſſimi Cardinalis merita ex ejus virtutibus, non ex vulgi rumoribus ac præjudiciis æſtimamus.

Pluris facienda ſunt quæ de illo ſummi, ac Principes Viri tulere judicia. Doctrinæ, ac probitatis ejus celebritas tantam ei in utraque fortuna exiſtimationem conciliaverat, ut continenti plauſu exceptus ab omnibus honorificentiſsime haberetur. Adhuc Juvenis Cardinalis Duratii, tunc apud Hiſpanos Apoſtolici Legati tantam iniit gratiam, ut mirum in modum deinceps aucta Bononiæ Legatus a latere Gottium incredibili favo-

vore ſit proſequutus. Cardinali Odeſcalcho Mediolanenſi Archiepiſcopo ita fuit acceptus, ut ab eo, quemadmodum commemoravimus, dum Quæſitorem Fidei ageret ſejungi ac divelli ægre admodum pateretur. Senatores etiam ac Proceres Mediolanenſes cum ipſo certarunt officiis ut ſuam erga hominem, quem plurimi faciebant, venerationem teſtarentur, cujus argumenta exhibuerunt neque pauca neque communia. De ſingulis Cardinalibus qui Bononienſi legatione functi, perhonorifice eum habuerunt, dicere ſuperſedeo, quamquam ſilentio omnino prætereundus non ſit Georgius Cardinalis Spinula, qui homini favit impenſius

ac liberalius. Hujus deinde munificentiam æmulatus Romæ Franciſcus Cardinalis Barberinus ultro e ſuis proventibus quingenta annuatim ei adſignavit argenteorum profuſæ in illum exiſtimationis argumento. Sed quod raro admodum & paucis fere ſapientibus contingit non tam externorum, quam indigenarum civiumque ſuorum judicia in ſe amantiſsima atque honeſtiſsima expertus eſt, ut ab omnibus Patriæ ſuæ ordinibus & obſervaretur eximie, & diligeretur impenſe, cujus rei clariſsima indicia dedit urbs univerſa cum publicis lætitiæ atque honoris ſignificationibus delatam ei purpuram gratularetur.

Victo-

Victorio Amedeo II. Sardiniæ Regi eximio rectoque hominum æſtimatori, maximo fuit in pretio; ſed & paternæ virtutis Hæres ac Filius Carolus Emmanuel non minus eum ſuſpexit: Nam illius ſapientiæ tantum detulit, ut in Profeſſorum Academiæ Taurinenſis delectu atque in nonnulla eorum doctrinæ cenſura ejus conſilio uſus fuerit, atque judicio.

Fuit & illud magnæ de eo opinionis luculentum teſtimonium Mariæ Clementinæ Sobieſki Magnæ Britanniæ Reginæ vitæ innocentia, virtutumque fama æternum commendandæ, quæ ut tanti Cardinalis ſapientia, & probitate, ita conſuetudine ac

 piis

piis alloquiis vehementer adficiebatur. Quapropter & coram, & abſens per Epiſtolas de conſcientiæ ſuæ arcanis egit cum illo frequenter, ac penitiores cordis ſui receſſus eidem aperuit; ſapienter rata ſe tanti magiſtri conſiliis, inſtitutis, & monitis in arrepta Chriſtianæ perfectionis via tutiſſime progreſſuram.

Jam demum quo loco fuerit apud Summos Pontifices paucis expediam. Clemens XI. qui vel invitum Mediolanenſi Inquiſitioni admoverat, ejus Commentarios adverſus Piceninum & mirifice commendavit, & Scriptorem de Eccleſia optime meritum dignum omnino pronunciavit, qui ſingulari in Eccleſia ho-

no-

nore adficeretur. Benedictus XIII. præconceptam de illo exiſtimationem, dum eum in Cardinalium cœtum adlegit, luculentiſſime confirmavit. Clemens vero XII. quanti eum faceret cum aliis ſignificationibus tum effuſa in eum liberalitate cumulatiſſime oſtendit; nam illum ne cogitantem quidem annuis proventibus ultro collatis non ſemel donavit & auxit. Denique Benedicti XIV. Eccleſiæ clavum feliciter moderantis extant præclara de illo teſtimonia in eruditis Operibus quæ ante Pontificatum magno rei literariæ atque Eccleſiaſticæ incremento vulgavit, quibus non ſine laudis præfatione Gottii Operum men-

tionem ingerit atque honeſtiſſimis præconiis cumulat. Qui autem viventem Pontificiæ dignationis indiciis ornavit, ex ægritudine vero decumbentem humaniſſime convenit, mortuum quoque publicis amoris & mœroris ſignificationibus eſt proſequutus.

Sed tempus jam fuerit, ut de ſuprema ejus vitæ parte dicamus. Annum ætatis attigerat LXXVI. valetudine quidem, ut erat imbecilla corporis habitudine, non admodum vivida, ſed neque infirma, & quantum ad hominis ſtudia ac munera continenter obeunda ſufficere videbatur. Sed perincommoda atque exitioſa eidem accidit poſtremi

mi Conclavis diuturnitas ad æſtivos calores producti. Nam inde cœpit adfectione pectoris, cruriumque tumore laborare. Ad hæc ſecuta corporis macies, virium attritio, membrorum laſſitudo, qua ita frangebatur, ut ſcalas per ſeſe ſcandere ſine gravi angore vix poſſet. Biennio fere his conflictatus eſt morbis, quorum cauſa medicorum induſtriam ſubterfugiebat, facto etiam nequidquam remediorum periculo. Iis tamen modo remittentibus, modo recrudeſcentibus nihil ſibi e laboribus temperabat: Nam & Congregationes adibat diligenter, nec ſtudia ſua intermittebat. Imminere tamen corporis ſui diſſolutionem fere præ-

ſentiens ac ſæpe prænuntians nihil aliud jam ejus ſermones ſpirabant præter infeliciſſimæ hujus vitæ tædium, atque contemptum, ipſoque rerum omnium terrenarum faſtidio indicabat; quo ſtudio immortalis vitæ requietem opperiretur. Auctum deinceps pectoris vitium ac reſpirationis incommodum, quo ſingulis fere noctibus paucis a cubitu horis repente oppreſſus lecto excedere cogebatur. Acrius tamen ac vehementius morbi vis erupit hominemque fere proſtravit Idibus Septembris Anno MDCCXLII. Nam ad pectoris adfectionem ſpirandique difficultatem acceſſit acuta febris, urinarumque ſuppreſſio, quibus ad extre-

extrema jam gradum fieri indicatum eſt. Nihilo tamen ſecius ingenti fractarum virium molimine mane inſequenti e lecto ſurgere, ac Dominicæ Crucis reverentia, cujus ea die Exaltationis memoria agebatur, ſacris operari devotiſſime voluit. Sed increbreſcente vi morbi eo ſtatim deductus eſt ut Medici prorſus actum de ejus vita monerent: qua denunciatione placido ac ſereno vultu accepta ſacris omnibus Chriſtianæ Religionis ſubſidiis ad capeſſendam æternitatis viam muniri ardentiſsime petiit: dumque illi divini Corporis viaticum porrigeretur cum anteactæ vitæ noxarum veniam publice a Deo cum lacrymis precatus

tus eſt, tum vero maxime quod ingenii ac temporis ſibi ab eo conceſſi uſuram haud rectam plenamque feciſſet. Sacris vero rite procuratis, quo gratam erga Familiæ ſuæ nobiles viros teſtaretur voluntatem, pro conceſſa ſibi a Clemente XII. transferendi, quas vocant, penſiones facultate iis aliquas adſignavit. Deinde in ſolum Deum mente & corde translatus ad extremum uſque ſenſibus integer opportuna monita, ac pios in Jeſum Crucifixum affectus qui a Sacerdote jugiter ingerebantur oculorum nutibus avidiſsime excipiens, inter ſuorum preces, & lacrymas brevi ac placido agone mortalitatem explevit, annos na-

tus

tus LXXVIII., & tredecim dies. Diſſecto exploratoque cadavere ſerum aquoſum extra vaſa fuſum in thoracis cavitate obſervatum eſt: Pulmonares lobi adeo inter ſe coaleſcentes ut nulla conſtantis alias diviſionis nota reliqua eſſet: Ex inciſa eorum dextera parte liquor aqueus proſiliebat: ejuſmodi ſeri copia etiam inter duram, & piam Matrem in capite deprehenſa hydropis læthalis indicia. Hepar fere indivulſe ſuperiori ex parte diaphragmati cohærens: pulmones ipſi fere undique coſtis adhæreſcentes; cor ultra naturæ modum prægrande: Aorta inſigniter dilatata, ejuſque interior ſuperficies veluti abroſa ac terebrata. Ilia-

cam

cam verſus ſatis amplum Aneuriſma atque arteriæ ibidem exterior membrana exeſis reliquis ita attenuata, ut facile ex improviſo difrumpi potuiſſet. Quo univerſæ Urbis mœrore mortis ejus rumor exceptus ſit facile quiſque conjiciet ex iis virtutibus quibus ille ſibi omnium exiſtimationem & ſtudia devinxerat. Sed omnium uti maximus ita æquiſſimus Fratrum Prædicatorum luctus fuit; qui quantum ſibi ex tanti Cardinalis jactura demptum præſidii ac ſplendoris intelligentes, calamitatem ſuam vix ullo tempore reparandam prolixe indoluerunt.

Altero ab ejus obitu die

in

in Minervitano Prædicatorum Templo conſuetis ritibus a Sacro Cardinalium Collegio, Pontifice ipſo præſentia ſua funus cohoneſtante, juſta illi ſolemnia perſoluta ſunt. Mox, quemadmodum ſupremis tabulis conſtituerat, ejus cadaver ad S.Xyſti, cujus tituli Cardinalis fuerat, humili componendum loco tranſlatum eſt, ac ſepulcrali lapidi hæc ipſe inſcribenda mandavit.

HIC JACET
FR. VINCENTIUS LUDOVICUS GOTTI
BONONIENSIS
ORDINIS PRÆDIC.
S.R.E. HUJUS ECCLESIÆ TITULI
PRESBYTER CARDINALIS
EXPECTANS CARNIS
RESURRECTIONEM
VIXIT AN. LXXVIII. DIES XIII.
OBIIT XIV. KAL. OCTOB. MDCCXLII.

Vir

Vir fuit ſtatura corporis decenti, oris habitu liberali ad modeſtiam, & gravitatem compoſito, colore ſubpallido ac fere albicante, fronte lata, amplis oculis, acie tranquilla ac verecunda, ſuperiore labro dextrorſum tumidulo, humero dextro paullo prominentiore, ſed citra deformitatem, ut quidquid hoc eſſet vitii vix deprehenderetur. Emicuit in eo perſpicacitas ingenii ſumma, judicium acre, ac ſolidum, ſtudium pertinax, ampla eruditio, rara dicendi ſcribendique facilitas cum eximia doctrina & perſpicuitate conjuncta. Ad mores quod attinet mitiſſimo fuit ingenio, facili atque humaniſſima

ma indole, ad bene de omnibus merendum prona; moderatus & humilis, prudens, & candidus, religioſus, ac pius, diſciplinæ tenax, Fidei vindex, Religionis adſertor, dignus omnino cujus animi ornamenta & virtutes omnis conſecutura ætas miretur ac celebret, cunctiſque Literatis, atque Eccleſiaſticis viris ad imitandum proponat.

Graviſſimam tanti Viri jacturam ut peracerbam habuit in primis Fr. Thomas Ripoll Ordinis Prædicatorum Generalis Magiſter, ita eam Ordini univerſo nunciavit literis mœrore plenis, quarum exemplar colophonis inſtar Commentariolo noſtro ſubjicimus.

IN DEI FILIO SIBI DILECTIS

Fratribus, & Sororibus univerſis Ordinis Prædicatorum.

FR. THOMAS RIPOLL

SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSOR

Ejuſdemque Ordinis humilis Magiſter Generalis, & Servus. Salutem & mortis recordationem.

MAgnum Familiæ noſtræ præſidium, & decus, magnum literariæ, & Chriſtianæ Reipublicæ Lumen, Sacri Purpuratorum Patrum Senatus ornamentum eximium, Catholicæ Religionis Adſertorem, Fidei Vindicem, Virum doctrinæ, ac probitatis fama celebratiſſimum amiſimus, Fratres dilectiſſimi, Vincentium Ludovicum S.R.E. Cardinalem GOTTI Bononienſem Ordinis noſtri. Et quamquam in tam acerba, ac luctuoſa rei noſtræ, publicæque jactura eò ſimus animo affecti, ut verba ad calamitatem hanc ſummam explicandam præ dolore vix ſuppetant, facere tamen non poſſumus, quin eam nunciando in conſor-

Digitized by Google

ſortium ægritudinis noſtræ vos advocemus.

Multis equidem abhinc menſibus non exiguum tanti periculi metum nobis injecerat Cardinalis ampliſſimus ob eam, qua noctu correptus pectoris anxietate, reſpirandique difficultate adflictabatur identidem. Sed cum remittente vi morbi Medicis non ſatis explorati, jam convaleſcere videretur, ut & ſtudia ſua, & Sacras Congregationes obiret de more diligentiſſime, in ejus vitæ longioris ſpem erecti ſumus. Verum haud diu licuit eam fovere, noſque acerbius ex præconcepta fiducia ludificavit eventus. Nam diei decimætertiæ hujus menſis nocte inchoante, vehementiore preſſus eſt ſpirandi difficultate, ad quam accedente febri ſatis acuta, urinæque ſuppreſſione, fractis repente corporis viribus, ſeſe prodidit certis indiciis immedicabilis pectoris hydrops, labeſque pulmonum. Quare horam illi imminere ſupremam denunciatum eſt, ad quam non exterritus, non turbatus, ſed elutis per Confeſſionem animi ſordibus, ſacro ad æternitatem peregrinationis Viatico devote ſuſcepto, Oleoque ad ſupremam luctam rite delibutus ſeſe religioſiſ-

 ſime

ſime comparavit, ac ſenſibus integer adventantem mortem placidiſſime adſpexit hora quinta noctis XVIII., itemque decubitus ſui quintæ. Annos natus LXXVIII, & tredecim amplius dies, ab univerſis Civitatis Ordinibus, tanquam acerbe, atque immature præreptus, prolixe, amantiſſimeque comploratus.

Ampliſſimi Cardinalis imaginem non eſt cur ullis coloribus adumbremus, quem adhuc ſpirantem exhibent cum in ore omnium pervulgatæ ejuſdem virtutes, tum publica, ac præclara ejus doctrinæ monumenta, in quibus æternum vivet ipſa nominis fama ſibi ſuperſtes. In his ſe prodit ea ingenii vis, atque eruditionis ubertas, quam, cum ſibi diuturno ſtudio comparaſſet, in aliorum utilitatem latiſſime effudit. Nimirum erat illi par ut intelligendi, ita ac docendi, ſcribendique facilitas, quam cum ingenti Auditorum frequentia tam privatim, quam publice, Bononienſi cum primis in Academia omnium plauſu ſatis probaſſet, is unus a doctiſſimo Cardinali Pipia Prædeceſſore noſtro deſignatus eſt, qui Theologiam univerſam Thomiſticæ Scholæ Candidatis nova methodo, hoc eſt non jejuna tantum, atque ſcholaſtica,

ſtica, ſed polemica etiam, atque erudita ſcriberet, atque vulgaret. Pro ea vero, qua pollebat diſputandi vi, & ſacræ eruditionis copia, tuendæ Catholicæ Religionis ſtudio mirifice accenſus, bellum Heterodoxis indixit acre, honeſtumque, quod & promovit conſtanter, & complevit feliciter non ſolum adverſus *Picininum*, & *Clericum* magni nominis apud Pſeudo-reformatos Scriptores, de quibus plane triumphavit, ſed adverſus Atheos, Polytheos, Idololatras, Judæos, Mahumetanos, univerſos demum Catholicæ Religionis hoſtes, quibus profligandis, atque delendis, editis a ſe uberrimis Commentariis, præclara reliquit Eccleſiæ armamenta doctrinæ.

Fuerit vero ſapientiæ tantæ laus eruditiſſimo Cardinali communis cum aliis: illud plane ſingulare, propriumque ejus extitit, ut ſummam dignitatem, atque doctrinam cum ſumma morum innocentia, vitæque ſanctitate conjungeret. Quam ſemel a tenero iniit, regularis diſciplinæ rationem æquabilis ſemper, ac ſimilis ſui ad mortem uſque conſtanter retinuit. Ab omni commodo, & voluptate alienus, Inſtituti vero noſtri ſervantiſſimus cuſtos,

 otii

otii, infenſiſſimus hoſtis, ſtudii ac receſſus imprimis, & ſolitudinis amantiſſimus, ſibi, literis, Deoque uni vacare ſemper, & quæ ejus fuit ſingularis humilitas, latere omnino voluiſſet. Sed cum invitus a jucundiſſimis ſibi ſtudiis ad Bononienſis Cœnobii, ac Provinciæ Utriuſque Lombardiæ regimen non ſemel abſtractus, a Clemente vero XI. Mediolanenſis Fidei Quæſitor nihil minus cogitans renunciatus eſſet, eos Magiſtratus, ad quos invitus acceſſit, tanta fide & ſapientia, tanta cum zeli, vigilantiæ, ac prudentiæ commendatione geſſit, ut ad difficillimam regendi artem omnino factus videretur. At vero cum intra privatæ utilitatis fines tanta virtus concludi non poſſet, immortalis recordationis Benedictus XIII. Ordinis noſtri, æquiſſimus veræ virtutis, meritorumque ejus æſtimator in Supremum Eccleſiæ Senatum, ne cogitantem quidem, ac ſtupentem primum velut fulmine ictum, mox etiam fortunam ſuam ex animo complorantem, atque dolentem, bonorum omnium adprobatione, & lætitia cooptavit: Nova auctus dignitate, qua nihil in vita moleſtius tulerat, nihil de religioſæ vitæ inſtituto remiſit, verum etiam priores virtutes

tutes auctiores fecit, atque clariores. Nihil de victus temperantia, & parcitate ab eo imminutum: In domo, in familia, in veſtibus, in comitatu, in rebus omnibus mira, & religioſa moderatio. Numquam vero intermiſsa litterarum ſtudia, quæ oblectationis loco illi erant, curarumque laxamenti; nec in maximis occupationibus neglecta precandi conſuetudo: nulla a re divina facienda, ſtatiſque ſacris, ac cæremoniis, aut Congregationibus adeundis, niſi morbo impediente, feriatio. Summa illi in tanto faſtigio cum gravitate modeſtia, cum candore prudentia, cum zelo lenitas, cum majeſtate comitas, atque affabilitas, cum incredibili exiſtimatione Urbis, & Orbis tanta ſui, honorumque deſpicientia, ut de purpuræ abdicatione non ſemel cogitaverit, egeritque aliquando de ſuo in domeſtica clauſtra receptu: Cumque alieno judicio digniſſimus videretur ſummo Sacrorum imperio, ipſe ſeſe inutilem prorſus Eccleſiæ, nullique jam rei gerendæ parem ex animo prædicabat: Nihil amplius ſibi eſſe cur viveret, cum ſperato plus vixiſset: Denique humanarum rerum faſtidio longe affecto nihil ſibi reliquum eſse, quam ſempiter-

næ

næ quietis fiduciam. Hanc vero Supremi Numinis clementia, quantum ex anteactæ vitæ curſu, & ratione conjicere licet, pro votis, ac meritis jam conſecutum ſperamus.

Cum tamen pro noſtra erga ampliſſimum Cardinalem obſervantia; ejuſque in Ordinem noſtrum præclariſſimis meritis omnia ei debeamus pietatis officia, & majora quæ poſsumus amoris, gratiqué animi argumenta, etſi ultrò ea vos præſtituros credamus: Harum ſerie, noſtrique auctoritate officii præcipimus omnibus Conventuum noſtrorum Superioribus, ut ſolemnes pro Anima Eminentiſſimi Cardinalis GOTTI exequias inſtituant more noſtro, atque inſtituto. A ſingulis Sacerdotibus unum Sacrum celebrari volumus, a Clericis, & velatis Sororibus ſeptem Pſalmos Pœnitentiales, a Fratribus, & Sororibus Converſis Roſarium recitari.

Cæterum, ut nihil antiquius habere debemus, quam ut tanti Viri memoriam ſancte tueamur, ita decet omnino, juvabitque, ut ejus virtutum recordatione in ejus vitam * *velut in vivam quamdam legem intuen-*

* *Tom. I. Opp. Orat. XX.*

intuentes, vitam noſtram dirigamus. (Sic enim in obitu Baſilii Magni ſuos monebat Gregorius Nazianzenus.) *Vobis autem; qui ab ipſo ſacra doctrina imbuti eſtis, non aliud quidquam ſuaſerim, quam ut eum ſemper ſpectetis, ac tanquam ipſe & vos videat, & videatur a vobis, ſpiritu inſtruamini.* Valete noſtri, Sociorumque memores in Sacrificiis, & Orationibus veſtris.

Datum Romæ in noſtro Conventu S. Mariæ ſuper Minervam IX. Kal. Octobris MDCCXLII.

Fr. Thomas Ripoll
Magiſter Ordinis.

Reg. fol. 153.

Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinius Mag. Theologus Caſanatenſis, & Proſocius.

IM-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

F. M. de Rubeis Archiep. Tarſi Viceſger.

IMPRIMATUR.

Fr. Aloyſius Nicolaus Ridolphi Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

MAG 4841

Digitized by Google